

crilegio, ut in hujus s. initio dictum est; in sequenti capite propter materiz singularitatem, & prolixitatem, seorsim agetur.

CAPUT V.

De Simonia.

§. I.

De essentia, & multiplicitate simonie.

102. **S**imoniam ex D. Th. 2. 2. quæst. 100. art. 1. Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituum annexum. Vel ut tradit Lexana: Est sacrilegium consistens in studiosa voluntate emendi, vel vendendi rem sacram, sive spirituales, vel spirituum annexam pro temporalibus. Tract. 19. cap. 1. num. 1. Simonia est ex genere suo peccatum mortale, nec potest esse veniale ex parvitate materiz. Alia est ex jure divino, & naturali, quæ committitur emptione, & venditione rei spiritualis. Alia ex jure Ecclesiastico tantum, ut permutatio, & resignatio Beneficiorum; & in hac potest Summus Pontifex secum, & cum aliis, etiam sine justa causa valide dispensare. Hinc sequitur quod simoniace contrahens cum Papa non incurrit penas Ecclesiastico jure latis; nam Pontifex tunc dispensare censetur. num. 7. 8. 9. Dicitur simonia in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis est, quæ consistit vel in nudo proposito dandi, aut recipiendi spirituale pro temporalibus; vel in actione externa facta animo simoniaco, non tamen ex se, vel ex adjunctis circumstantiis explicato. Conventionalis est quæ supponit mentalem, & addit pactum, vel conventionem externam tacitam, vel expressam, ex neutra tamen parte, vel saltem non ex utraque secuto effectu. Realis supponit mentalem, & conventionalem, & addit traditionem realem ex parte utriusque,

sive pecunia soluta, sive credita. num. 16. 18. Datur etiam simonia fida, cum quis promittit pretium pro re spirituali, absque intentione dandi; & hæc non est vere, & formaliter simonia; nec ullam penam pro foro interno talis incurrit, committit tamen peccatum gravissimum. n. 19.

103. Sub nomine emptionis & venditionis veniunt omnes contractus onerosi quicumque illi sint, sive perfecti: sive imperfecti: sive expliciti, & formales, sive impliciti, & virtuales, aut æquivalentes. Et insuper omnes contractus gratuiti, & liberales; quia licet speculative loquendo, hi forte simoniaci non sint; in praxi tamen etiam illi ut simoniaci reputantur, & a Summis Pontificibus reprobantur. Quare sive res temporalis detur ut pretium, sive solum tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: sive ita quod sit finis rei spiritualis, sic ut pluris æstimetur quam res spiritualis: sive ut sit gratuita compensatio pro re spirituali: aut etiam si res temporalis detur, non pro collatione Beneficii, sed pro emolumento temporali non debito, simonia est: quia generaliter loquendo ut dicit D. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 5. *Simonia est per pecuniam parare sibi viam ad rem spirituales obtinendam.* Tract. 19. cap. 1. num. 3. 6. 52. Vid. prop. 22. damn. ab Alex. VII. & 45, 46. damn. ab Innoc. XI. Ex quibus patet quod simonia est, rem spirituales dare eo pacto, & conventionem quod alter ex gratitudine teneatur hoc vel illud munus concedere, vel contra: tali enim pacto, & conventionem novum onus imponitur accipienti, quia antidotalis obligationi, superadditur obligatio fidelitatis: quod si in genere, vel in specie determinetur materia, in qua recipiens gratius esse debeat, aliud onus imponitur; obligatio enim antidotalis coarctanda non est ad rem spirituales, & multo minus ad talem rem v. g. Beneficium conferendum. num. 67.

104. Etiam præcio prædicto pacto, vel conventionem de obligationis antidotalis ad-

impletionem; si recipiens, verbis generalibus exprimat, se non futurum ingratum, revera tamen rem temporalem spiritualem compensare intendat, vel et contra, simonia est. Tract. 19. cap. 1. num. 6. Quoties donum aliquod datur, intuitu principali recipiendi pro eo rem spirituales, vel et contra, committitur simonia, quia dari censetur ut pretium, vel compensatio, & consequenter datur virtualis contractus emptioni æquivalentis: hæc autem prava intentio semper præsumitur adesse, quando deest justus titulus stipendii, seu sustentationis ministris: redemptionis injustæ vexationis: laboris extraordinarii: honestæ amicitiz, vel consanguinitatis, ob quem illud munus licite accipi possit. num. 29. 57. In foro externo munus non gratis dari præsumitur: si largitor sit plebeus; modice fortunæ; non liberalis; non timorata conscientia; si munus non fuit moderatum, & personæ conveniens; & maxime si fuit numerata pecunia; si ante rei spiritualis collationem, vel immediate post: & consequenter in his casibus simoniace datum censetur. num. 58.

105. Si dans rem temporalem principaliter non intendat consecutionem rei spiritualis, sed tantum de secundario, minus principaliter, & quasi per accidens; etiam si spes consequendi spirituale sit causâ impulsiva, & excitativa ad dandum temporalem rem, ita ut ex illo solo principali motivo minime daretur, nisi spes consequendi spirituale, dantem impelleret, non committitur simonia: sic dicendum de conferente v. g. Beneficium cum intentione sed minus principali consequendi aliquid temporale. Tract. 19. cap. 1. num. 60. Clericus qui sine convenienti stipendio, aut gratis inservit Episcopo, ut loco stipendii ei conferat Beneficium, simoniacus est: si vero inserviat, ut Episcopus certior fiat de ejus talento, doctrina, & aliis qualitatibus, quarum intuitu postea facilius eum promoveat, simonia non erit. num. 3. Quando ex titulo aliquo justitiz, exhibito rei spiritualis debetur pro mune-

re temporali, vel et contra, non erit simonia de hoc pacifici etiam pacto, & conventionem obligatoria ex justitia: ut quando res temporalis datur ut stipendium ad sustentationem ministris. num. 68.

§. II.

De iis, quæ rationem pretii habere possunt, in materia simonie.

106. Quamvis nomine muneris donum gratuitum communiter accipitur: in materia tamen simonie ea omnia intelliguntur, quæ pecunia mensurari, & rationem pretii habere possunt. Munus in hoc sensu figuratum triplex est: nempe munus a manu, munus ab obsequio, munus a lingua. Munus a manu primo loco, & principaliter est pecunia sive numerata, sive promissa, quæ si detur collatori Beneficii, Electori, vel Patrono pro presentatione, electione, vel collatione, aut cuilibet alteri pro re spirituali obtinenda, sive in magna, sive in parva quantitate, committitur simonia: sicut etiam si detur quælibet alia res temporalis præcio æstimabilis: aut si remittatur debitum præsens, vel futurum aut debiti solutio fiat Tract. 19. cap. 1. num. 22. 23. 24. Inter munera a manu, etiam mutuum computatur, nu. 36. Ob consanguinitatem, vel afinitatem Beneficium conferre simonia non est: erit tamen peccatum contra justitiam, consanguineos, vel affines præferre dignioribus. Si supposita dignitate subiecti, collator principaliter attendat ad consanguinitatem, vel afinitatem, venialiter tantum peccat propter inordinationem in providendo de spiritualibus. Esset autem, simonia, si beneficium alicui conferret ea conditione, ut ex redditibus aleret Episcopi consanguineos. num. 37. 38. Inter munera a manu computatur etiam pensio sibi, vel alteri solvenda num. 39.

107. Munus ab obsequio dicitur quodcumque hominis opus, quod ad usus, & commoditates alicujus ordinatur: sive sit obsequium, sive cau-

sa

fam illius promovere, illi assistere, illum comitari, docere, instruere, defendere &c. Quodcumque igitur obsequium præstitum Ecclesie, collatori, electori, patrono, vel amicis eorum, si pro re spirituali offeratur, simonia est. Et similiter si collator, elector, aut patronus, debita iustitie contracta cum famulo ratione obsequii præstiti, collatione Beneficii, electione, vel præsentatione, solvere intendat simoniacus est. Tract. 19. cap. 1. nu. 25. Promittere, donare, legare aliquid temporale sub conditione præstandi aliquid spirituale in utilitatem, & commodum ipsius exequentis, & per modum inductionis ad bonum, relicta tamen legatario, vel donatario libertate faciendi, vel non faciendi opus assignatum, simonia non est; ut si quis alicui legaret centum aureos si sacramenta frequentaverit; si quotidie Missam audierit &c. erit autem simonia si imponatur legatario, vel donatario obligatio simpliciter talis exequenti opus injunctum; aut si conditio sit de dando, vel faciendo aliquid in commodum, vel utilitatem donantis, legantis, seu promittentis; Ut si virgini dotem, alicuiam rem temporalem pramittas si Religionem ingrediatur, ut tu, vel filius tuus, vel consanguineus in hereditate succedat, vel ob aliud commodum inde proveniens. n. 40. 41.

108. Si Beneficio imponatur conditio vel onus, quod de jure inest, & eo modo quo inest, non est simonia. Quare si Beneficium curatum habenti, conferat Episcopus aliud Beneficium curatum ea conditione, ut hoc recepto primum resignet, non erit simonia, quia ad illud resignandum de jure tenetur. Si autem secundum Beneficium sit compatibile cum primo, obligatio primum renunciandi imponi non potest, sine simonia, quia ad hoc non tenetur. Erit etiam simonia, si tuam capellaniam, vel Beneficium alteri cedas ea conditione, ut cum aliud incompatible obtinuerit, illud tibi reddat; licet enim de jure unum renunciare tenetur, non tamen tibi renunciare tenetur. Quando Beneficio, jam

ab ejus institutione annexum erat onus docendi, legendi, canendi &c., tale Beneficium conferre ea conditione, ut hec officia debite exerceat, non est simonia, quia talis conditio de jure inest. Tract. 19. cap. 1. num. 42. Potest ab Episcopo una cum Capitulo, Prebende vacanti onus aliquod honestum, & moderatum cedens in utilitatem Ecclesie annexi, ut onus docendi, cantandi, Ecclesie negotia peragendi &c.; ita quod Beneficium ad quocumque cum suo onere transeat. Quod si Beneficium illud sit Jurispatronatus, requiritur etiam consensus Patroni. Licet in aliis rebus spiritualibus possit dari permutatio unius cum alia, vel res spiritualis dari cum onere præstandi obsequium spirituale, vel aliam rem spirituales, sine simonia; in Beneficiis tamen omne pactum, omne onus, omnique modus vel conditio que de jure non insunt, aut jam antea non erant Beneficio, ejus collationi, renunciacioni, vel resignacioni adjecta, sine licentia Summi Pontificis simoniaca sunt de jure Ecclesiastico. num. 43. 44.

109. Per munus a lingua intelliguntur preces, supplicationes, intercessiones, laudes, & adulationes. Tract. 19. cap. 1. num. 25. Si Episcopus alicui promittat vel conferat Beneficium, ut pro illo apud Principem preces fundat; ut Episcopum apud Regem laudet; si est vir nobilis, ut dicat se Episcopi esse consanguineum, vel illum apud populum exaltet; simonia est. Item si Episcopus alicui Beneficium conferre nolit, nisi ad talis personæ preces, ut ipsam tali modo sibi obliget; vel ejus amicitiam acquirit. Denique quando quis conducit alicquem, ut pro ipso apud Episcopum collatorem Beneficii preces fundat. nu. 31. Si ergo pecunia, vel alia munera dentur mediatori, intercessori, familiari, ministro, famulo, vel alteri, ut median- te favore, precibus &c. ipsorum Episcopus conferat Beneficium, vel aliam rem spirituales, simonia est; nedum jure Ecclesiastico positivo, sed etiam naturali, & divino. Si munera dentur mediatori &c. non ut preces fundat.

sed præcisè ut merita personæ Episcopo proponat, & notificet, quibus permotus facilius ei conferat Beneficium, licet non sit simonia, est tamen res periculosa, & omnino cavenda. Si pecunia detur familiaribus &c. pro labore suscepto in eundo, & redeundo ad negotiandam collationem Beneficii, vel in compensacionem damni peressit: vel lucri amissionis, non vero pro precibus, simonia vere quidem non est; sub his tamen titulis multoties simonia palliatur, ut contingit quando compensatio laborem impensum, damnum passum, vel lucrum amissum excedit. num. 50. 51. 52. 53. Si quis alicui promittat, se certam pecuniam summam alicui Monasterio in elemosinam erogaturum, vel in alia pia opera insumpturum, si pro eo preces fundat, aut alio modo ab Episcopo Beneficium ei impetret, simonia non est; illa enim pecunia iusto titulo elemosinæ, aut pii operis erogatur. nu. 54.

§. III.

De materia circa quam simoniæ.

110. Materia circa quam simoniæ est res spiritualis vendenda &c. Tract. 19. cap. 2. in Præm. Nomine rei spiritualis veniunt ea omnia, quæ a Deo ut Authore supernaturali proficiscuntur, quæ sunt in quadruplici differentia: nam alia sunt spiritualia secundum substantiam, ut virtutes supernaturales infusæ, gratiæ gratis datæ &c. alia sunt spiritualia casualiter active, ut Sacramenta, & Sacramentalia: alia casualiter passive, ut sunt quæ a spirituali potestate procedunt, & operationes ad eam ordinatæ, ut dispensare, absolvere, & alii actus jurisdictionis; item orationes fundere, cantare in choro &c.: alia sunt spiritualia ex annexione, sive antecedenter connectantur cum spiritualibus, quæ semper essentialiter supponunt, ut sunt omnia Beneficia Ecclesiastica, quæ ordinem clericalem supponunt, & obligationem ad Officium divinum, & in titulo spiritua-

li fundantur; sive consequenter, quia ad spiritualia ordinantur, ut sunt vestes sacre, vasa sacra, candelæ benedictæ, Reliquiæ, Tempia, Juspatronatus &c. Tract. 19. cap. 2. n. 4.

111. Verus est res spirituales pro essentiam; ut Gratia Sanctificans, virtutes infusæ &c. non posse esse absolute, & simpliciter materiam simoniæ; nec emi, aut vendi posse; bene vero in concreto sumptæ, seu ad venditionem alterius, & hoc modo esse materiam simoniæ, certum est. Tract. 19. cap. 2. n. 3. Pro administratione Sacramentorum, nec non pro sacramentalibus, eorumque exercitio pretium accipere simonia est, tum jure Ecclesiastico, tum divino. Idem dicendum de quibuscumque aliis functionibus Ecclesiasticis, & orationibus tum publicis, tum privatis. Potest tamen nihilominus pro his muneribus, v. g. pro Missæ cantu, funere, processione &c. & recipi, & peti, non per modum pretii, sed laudabilis consuetudinis, titulo elemosinæ, vel sustentationis ministrorum. num. 37. 14. 15. Pro Ordinibus conferendis nec Episcopus, nec ejus ministri aliquid recipere possunt, etiam titulo sustentationis, etiam si gratis exhibeatur.

Notarii vero si non habeant salarium assignatum, aliquid recipere possunt, per modum stipendii ad sustentationem: contrahentes vero, simoniam, ex jure positivo, committunt. Post susceptum tamen Ordinem, & traditas literas testimoniales, si Ordinatus sciens se nihil ultra debere, nec exactus a Notario, sponte eidem plus offerat quam debet, non peccat ille accipiendo, quia hoc non prohibetur. Dos quæ exigitur a contrahente matrimonio, non exigitur pro eo ut Sacramentum est, sed ut contractus est. Si quando in absoluteione a censuris, injungitur erogatio pecuniæ, hoc fit in pœnam delicti, non vero propter absoluteionem. nu. 9.

112. Omnia quæ ante consecrationem vel benedictionem, valorem intrinsecum habent, ut calix consecratus, imago benedicta, Reliquia argento clausa &c. possunt ratione valoris intrinseci, quem ex

se habent, vendi absque simonia, dummodo ratione consecrationis pluri non vendantur quam valor illarum intrinsicus importat. Tract. 19. cap. 2. num. 16. Pro labore intrinseco operationum spiritualium nihil per modum pretii absque simonia recipi potest; bene vero pro labore extrinseco. Labor intrinsecus est ille, sine quo & valide & decenter effici possunt: extrinsecus vero est ille, sine quo & valide, & decenter effici possunt; ut si per tot leucas Sacerdos ire debeat ad baptizandum: si Missa cum tali aut tali solemnitate canenda sit: si tali hora, tali loco sit celebranda &c. Pro administratione Sacramentorum aliarumque rerum spiritualium, & pro labore sive intrinseco, sive extrinseco potest minister aliquid temporale ex iustitia petere, ut stipendium sustentationis secundum qualitatem personæ, & ministerii. Quo titulo pro Missa, pro concione, pro Ecclesiarum consecratione, pro visitatione &c. iuxta consuetudinem in Ecclesia receptam, & juxta canonum dispositionem aliquid temporale recipitur, etiam si minister alias ditissimus sit, & habeat unde sustentetur; nemo enim propriis stipendiis militare tenetur. Et de hoc stipendio infuper pacifici licet. num. 18. 19. 20. 21. 22. Qui pro sustentatione plus petit quam sibi debetur ex taxa, vel laudabili consuetudine, peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur, non tamen committit simoniam. Idem dicendum de his qui pro administratione Sacramentorum, funeralibus &c. habent redditus Ecclesiasticos assignatos, & ad id ex officio tenentur, si novum stipendium exigant, nisi adit consuetudo, ut aliquid pro tali functione tanquam pars sustentationis erogetur, n. 24.

113. Actus virtutum alii sunt potestatis ordinis ut Evangelium canere, celebrare &c. alii jurisdictionis, ut sententiam ferre, dispensare &c. alii ad nullam potestatem pertinentes, ut orare, jejunare &c. De pertinentibus ad potestatem Ordinis dictum est supra: de pertinentibus ad potestatem jurisdictionis infra dicitur. Actus virtutum ad nul-

lam potestatem pertinentes; vel ordinantur ad finem mere temporalem; ut sunt opera Misericordiae, quatenus ordinata ad solam corporalem alterius sublevationem; & pro his aliquid dare, vel recipere simonia non est: vel ordinantur ad finem supernaturalem, ut recitatio Officii divini, orationes, processiones &c. & etiam ipsa Misericordiae opera, quatenus meritoria, satisfactoria, impetratoria; & pro his aliquid temporale dare, vel accipere simonia est. Quando aliquis dat eleemosinam pauperi, ut pro dante oret, non eam dat pro illo actu, sed in eleemosinam, & ad excitandam ejus animam, ut pro eo gratis; & ex charitate oret. Tract. 19. cap. 2. n. 25.

114. Potestas Ordinis ita est determinata ad suum actum, ut nullum aut fere nullum habeat influxum in ejus omissionem. Potestas vero jurisdictionis est principium positivum, tum actus, tum negationis illius: ex quo sequitur quod omissiones, seu negationes actuum spectantium ad potestatem jurisdictionis sunt quoddam exercitium, & usus talis potestatis, & regulantur ab ea: ut non absolvere indignum: non dispensare sine causa &c. omissiones vero, seu negationes actuum spectantium ad potestatem Ordinis non sunt usus talis potestatis, sed liberi arbitrii, ac proinde meræ negationes, si sint aliquis actus non debiti; ut non celebrare &c.; aut meræ privationes, si sint aliquis actus alias debiti; ut si Parochus omittat celebrare, quando ex iustitia tenetur. Quando omissiones actuum virtutum regulantur a potestate spirituali, suntque illius exercitium, & usus, quales diximus esse omissiones actuum spectantium ad potestatem jurisdictionis, pro illis pretium exigere simonia est. Secus dicendum de omissionibus actuum spectantium ad potestatem Ordinis, & a fortiori de omissionibus actuum ad nullam potestatem spectantium. Quare si quis pecuniam accipiat, ut non absolvat, aut dispenset &c., sine negatio sit iusta, sive injusta, simonia est. Similiter si Prae-

tus

tus pecuniam accipiat ne subditum corripiat, aut puniat, simonia est. E contra si detur pecunia Sacerdoti ne celebret, aut Diacono ne Evangelium caneret &c. simonia non est. Pariter si quis pecuniam accipiat ne oret, ne jejunet, ne Religionem ingrediatur &c. simonia non est; etiam si tales actus essent alias debiti ex voto, præcepto Ecclesiae, vel alterius virtutis, num. 26. 27. 28.

115. Potestas jurisdictionis alia est pro foro interno, ut potestas absolvendi, audita confessione; talem poenitentiam imponendi &c. alia pro foro externo, quæ adhuc duplex est: nam alia est gratiosa, ut sunt dispensationes: alia contentiosa, ut judicare, damnare, visitare &c.; & pro his omnibus, & etiam pro commissione ad hæc, seu pro delegatione quid temporale recipere, simonia est. Tract. 19. cap. 2. num. 30. Hinc sequitur simoniam esse munus dare, vel recipere pro augenda, vel minuenda poenitentia; pro licentia audendi confessiones, concionandi, Ordines suscipiendi, absolvendi a reservatis, pro jure eligendi ad Beneficia, pro ipsis electionibus, collationibus, confirmationibus, præsentationibus &c. pro indulgentiarum concessione; pro dispensatione in votis, juramentis, & similibus, sive in foro externo, sive interno; nec non pro dispensatione in legibus Ecclesiasticis, pro assensu Parochi ad Matrimonium, pro dispensatione in impedimentis Matrimonii, vel in irregularitatibus &c., pro visitationibus &c., & pro quocunque actu Ecclesiastici iudicii usque ad prolationem sententiæ inclusive; nec non pro delegatione facultatis ad hujusmodi actus exercendos. Hoc tamen non tollit facultatem aliquid recipiendi pro nonnullis functionibus titulo stipendii pro sustentatione. Parochi alteri suas vices committenti licitum est sibi reservare stipendium, quod pro illis functionibus debeatur; quia non pro commissione, sed pro sustentatione alias debita, illud requirit. num. 31. 32.

116. Officia Camerae Apostolicæ habentia jurisdictionem spirituales annexa

Pars I.

zæ, ut sunt Clericatus, & Auditoratus Camerae, venduntur tantum quoad temporale emolumentum, Summo Pontifice in hac Simonia dispensante, quæ est tantum de jure Ecclesiastico; in his enim officiis emolumentum temporale antecedenter se habet, spirituale vero consequenter, & tanquam accessorium. Pro dispensationibus, quæ a Curia Romana conceduntur, non recipitur pecunia pro ipsa dispensatione, sed aliquo ex his tribus titulis, nempe: vel ad sustentationem Status Pontifici, & onerum ejus; vel per modum poenæ impostæ dispensato: vel per modum commutationis, ut cum votum commutatur in eleemosinam. Tract. 19. cap. 2. num. 34. 35. Titulo sustentationis nequit Episcopus pecuniam pro dispensationibus petere, quia pro sua sustentatione redditus habet; bene vero ex aliis duobus titulis: caveant tamen ne sibi mediate, vel immediate eas pecunias applicant, vel earum dispensationem assumant; propter evitandam populi suspitionem. n. 36. Vendere usum cuiuscunque scientiæ naturalis, seu notitiam cuiuscunque veritatis, naturali industria comparabilis, non est simonia. num. 39. Probabilis est, Sacram Theologiam sumptam pro cognitione Mysteriorum Fidei, & scripturarum divinitus insula, esse materiam simoniae. Idem dicendum de Theologia acquisita quoad munus docendi doctrinam Christianam, & veritatem Evangelicam. num. 41. 42. Pro Theologia doctrina secundum quod instruit intellectum, & prout traditur scholasticè: item pro licentia ad docendam sacram Theologiam, pro concessione Magisterii, Doctoratus &c. pecunia accipere Simonia non est. num. 43. 44. Pro munere quoque docendi Cathedram, & instruendi in Fide prout fit in scholis, aut pro consilio, seu responso morali doctrinaliter traditis, pretium recipere non est simonia: bene vero si hæc tradantur concionando, vel exhortando in ordine ad spirituales profectum. n. 45.

117. Pro ingressu in Religionem, aut

M

pro

pro professione aliquid temporale recipere, vel exigere simonia est, tum jure Ecclesiastico, tum divino. Si quid gratis, & liberaliter detur, seu offeratur Monasterio ab ingredi volente, absque simonia recipi potest, erit tamen simonia, si timens non acceptari, omnia bona sua, vel partem eorum offerat Monasterio, & ob hoc acceptetur: vel si minetur non acceptaturos, nisi bona Monasterio relinquat. Erit etiam simonia si quis interserviat Monasterio, ut recipiatur, non vero si interserviat ob vitium, ut sic Religiosi, cognita ejus indole, eum facilius recipiant. Tract. 19. cap. 2. num. 46. 47. Recipere ad habitum ex gratitudine, & benevolentia ad beneficentem; beneficiis, & largitionibus animum secularis allicere, ut ex devotione, & affectu ad Religiosos habitum suscipiant; immo etiam si Monasterium suscipiat in se gratis omnia debita ingressuri, vel se obliget ad alendos ejus parentes, ut sic magis alliciat, & impedimenta tollantur, simonia non est. num. 48. Pro anno novitatus etiam si Monasterium ditissimum sit, pecuniam exigere pro victu, & vestitu; & insuper si ingressurus, propter ætatem, infirmitatem, aliove defectu allaturus sit gravamen Monasterio, ad compensanda onera ex iis defectibus provenientia, simonia non est. Non solum in Monasteriis pauperibus, sed etiam in ditissimis pecuniam exigere ab ingressuris, titulo sustentationis simonia non est, nec jure Ecclesiastico nec divino, dummodo plus non exigatur quam ad sustentationem pro tota vita requiritur. Hinc honestatur, & liberatur a Simonia receptio dotis. Per augmentum dotis compenari etiam possunt detrimenta, & incommoda, si quæ Monasterio ex receptione monialis obveniunt. Et sic potest exigi major dos pro receptione viduæ, ætate confectæ, supranumerariæ, vel etiam plurium sororum, in eodem Monasterio; ad hoc ut ingressus difficilior sit. n. 49. &c.

118. In Beneficiis Ecclesiasticis duplex jus invenitur, nempe jus ministrandi

spiritualia, & jus percipiendi temporale emolumentum, propter tale ministerium. Beneficia Ecclesiastica vendere, quæcumque illa sint, etiam quoad solum temporale emolumentum simonia est, tum jure Ecclesiastico, tum divino; hoc enim jus ad temporale emolumentum consequenter se habet ad jus spirituale, & ab eo omnino dependet, & dimanat. Idem dicendum de Prælatiis Regularibus, quæ licet quoad temporale emolumentum Beneficia non sint, sunt tamen quoad jus ministrandi spiritualia, & jurisdictionem spiritualem quæ important. Tract. 19. cap. 2. num. 56. 59. Jus ad spiritualia ministeria, absque jure ad fructus, non est vere, & proprie Beneficium: & e converso jus ad fructus, sine jure ad spiritualia officia, jus beneficiale non est. Solum Summus Pontifex, ob summam potestatem dispensativam bonorum Ecclesiasticorum, potest ex justa causa jus percipiendi fructus separare a jure ministrandi spiritualia, & sic illud vendere: quæ separatio tripliciter fieri potest; Primo applicatione fructuum ad laicos pro ministerio temporali; Secundo extinguendo jus spirituale; Tertio per impositionem pensionis vendibilis, per quam pars aliqua fructuum separatur a Beneficio, & sic separata vendibilis est. n. 62. 63.

119. Habitus, & commendas Equitum Ordinum militarium vendere, aut emere simonia non est: (loquimur de iis, qui ad militiam in defensionem Christianæ Reipublicæ deputantur, sive Religiosi sint, ut equites Hierosol. sive non, ut alii:) nam quod principaliter in his spectatur est honor, & temporale emolumentum; quod autem habent de spirituali, ut vota, obligatio ad Regulam, Orationes &c. consequenter se habet, & quasi accessorium consideratur. Erit tamen grave peccatum contra justitiam, nisi auctoritate Pontificis, ex rationabili causa fiat, & applicando pretium ad majus bonum commune. Tract. 19. cap. 2. num. 64. 65. Pensiones clericales vendere simonia est de

de jure divino: vendere vero pensiones mere laicales, nullo jure simonia est. num. 70. Ex jure divino, aut Canonico pensiones mixtas vendere simonia non est. Ex Bulla tamen S. Pii V. nullatenus vendi, & consequenter nec redimi sine auctoritate Summi Pontificis possunt: Pensio vendibilis est etiam redimibilis absque simonia, etiam sine licentia Summi Pontificis; fecus invendibiles. num. 71. 72. 74. Juspatronatus, quod Ecclesia concedit Patronis præsentandi ad aliqua Beneficia, vendere simonia est, jure Ecclesiastico, & probabiliter etiam jure divino. Hinc fit esse simoniam quando Juspatronatus transit ad alium, ratione rei venditæ; si ratione illius juris, illa res pluris vendatur. num. 77. Sequitur etiam quod jus Patronorum alicujus Monasterii ad præsentandas aliquas puellas recipiendas sine dote, sit vendibile sine simonia, tam inspecto jure divino, quod Ecclesiastico. num. 81.

§. IV.

De alienationibus simoniam constituentibus.

120. Jus aliud est acquisitum, aliud acquirendum. Jus acquisitum est debitum ex justitia commutativa, nimirum quando jam de facto res habetur, & est approbata habenti jus, licet interdum non possideatur, & dicitur etiam jus in re. Jus acquirendum est aliqualis jus debitum quidem, sed ex justitia distributiva, vel alia virtute; & dicitur etiam jus ad rem, jus inmatum, quod proprie, & rigorose non est jus, sed quædam dignitas, & idoneitas personæ. Jus ad rem vel est remotum, vel proximum. Jus ad rem remotum est, quod habet quilibet oppositor dignus, vel dignior ad Beneficium &c. Proximum est, quod habet electus, vel præsentatus nondum confirmatus, vel institutus. Tract. 19. cap. 3. num. 2. Post jus firmiter, & certe acquisitum, (quod tale a dotis, & peritis reputetur,) in Beneficio, aut alia re spirituali, simonia non

est pecunia redimere vexationem iniustam ab alio illatam, pro tali jure tollendo. At si dubium sit de valore præsentationis, electionis &c. vel si dubitetur, aut sit probabile, litem vel vexationem non esse injustam, non licet eam pecunia redimere. num. 3. 4. Vexationem injustam redimere largitione alicujus rei spiritualis illicitum est, & simoniacum. num. 6. Vexatio circa possessionem Beneficii, si fit de facto, cum scilicet titulus certus est, & indubitatus, sed impeditur, & negatur possessio, sine simonia labe redimi potest: si vero sit de jure, cum scilicet possessio negatur, quia jus ipsum verititer in dubium, eam pecunia redimere simonia est. num. 8. Si jus sit acquirendum, & vexatio fit ab eo qui prodesse, & obesse potest: ut si agatur de Beneficio conferendo, & vexatio injusta sit ab electore, præsentatore, &c. aut alio, ad quem aliquo modo pertinet beneficii provisorio, ut talis est, v. g. nolendo instituire, præsentare, &c. eam pecunia redimere simonia est ex jure divino: si vero sit ab eo qui potest quidem obesse sed non prodesse, vel etiam ab ipsis qui possunt obesse, & prodesse, sed non ut talibus, sed tantum eo modo quo quilibet alius vexare potest, v. g. infamando, terrendo &c. eam pecunia redimere simonia non est. n. 9. 10. 11.

121. Dare pecuniam &c. alicui ne concurrat ad Beneficium, ne se opponat, vel ut ab oppositione desistat, ne exceptionem apponat, quam jure apponere potest, & de his practici simonia est. Non erit tamen simonia dare pecuniam illi qui muneribus, vel precibus subornare nititur electores, ut cesset a subornatione, dummodo non intendat eum habere factorem. Tract. 19. cap. 3. num. 14. Licetum est dare electoribus pecuniam, ut ab electione indigni desistant, vel etiam ab electione digni in concursu dignioris, dummodo constet eos ad talem iniquam electionem esse paratos, vel saltem inclinatos. num. 15. Licet etiam dare pecuniam electoribus, ut eligant dignum, seu digniorem in con-

muni, etiamſi unus tantum dignus fit, vel dignior; non tamen ſignando hanc perſonam in particulari. num. 16. Rem pure ſpiritualē, ut ſunt Sacrificia, præces, Reliquiæ &c. pro alia pure ſpirituali permutare non eſt ſimonia, nec jure humano, nec divino: Verum ſi res non fit pure ſpiritualis ut Reliquia auro compoſita, &c. tunc inæqualitas materiæ poteſt compenſari pecunia; at inæqualitatem rei ſpiritualis pecunia compenſare, vel pretioſitate materiæ, aut e contra, ſimonia eſt. Semper autem ſervanda eſt proportio, ut pure ſpirituali cum pure ſpiritualibus commutentur; quod ſi habeant aliquid temporale annexum, ſit utrumque ejuſdem ordinis, nimirum vel utrumque antecedenter, vel utrumque conſequenter. In commutatione ſpiritualium, quæ habent temporale annexum conſequenter, ut in commutatione Beneficii pinguis cum tenui, ſimonia eſt inæqualitatem in temporalibus pretio compenſare. num. 18. 20.

122. In Beneficiis Eccleſiaſticis, & Beneficialibus quæcunque commutatio facta ſine auctoritate Superioris, ad quem ſpectat collatio, quamvis de jure naturali, & divino non fit ſimoniaca, eſt tamen de jure Eccleſiaſtico. Dicuntur autem beneficialia, ſeu ad Beneficia quomodolibet pertinentia omnia ſpiritualia, quæ habent temporalia annexa conſequenter, etiamſi proprie, & rigorose Beneficia non ſint; ut Vicariæ amovibiles ad nutum; Capellanæ non collativæ, omneſque actiones ad Beneficiorum provisiones pertinentes, quæ a jure aliquo, vel poteſtate ſpirituali procedunt; & quodcunque jus ad prædicta, ut ſunt electiones, præſentationes, confirmationes &c. Tracl. 19. cap. 3. num. 21. 22. 24. Jura permittunt commutationem Beneficiorum, auctoritate Episcopii factam, ſolum quando uterque permutantium habet firmum jus in re. Nomine autem Episcopii veniunt etiam Abbates juriſdictionem Episcopalem habentes. Si Beneficia permutanda ad verſam Diocceſim pertineant, requiri-

tur utriusque Episcopii conſenſus. num. 26. Licitum eſt volentibus permutare Beneficia prius inter ſe hoc negotium tractare, & pacifici de modo ſub conditione: ſi Præſatus conſentierit. num. 27. Etiamſi abſque culpa commutantis permutatio non teneat, nequit permutans propria auctoritate ad ſuum Beneficium redire, quod permutacionis cauſa reſignaverat. n. 27.

123. Beneficium penſione merè temporali permutare ſimonia eſt, ex jure divino; & hoc neque auctoritate Summi Pontificis fieri poteſt. Si vero penſio fit ſpiritualis, poterit quidem permutatio fieri auctoritate Pontificis, non vero Episcopii, niſi fuerit in titulum Beneficii erecta. Tracl. 19. cap. 3. nu. 29. Licet Summus Pontifex Beneficium penſione merè temporali commutare non poſſit; poteſt tamen tamquam ſupremum diſpenſator uti translatione perſonarum a Beneficio in penſionem, & a penſione in Beneficium; poteſt enim in ſe ſuſcipere renunciationem utriusque, & denuo diſtribuere prout ſibi videtur. n. 30. Si unum Beneficium excedat aliud in juriſdictione, vel dignitate, aut etiam in fructibus tantum, talem exceſſum pecunia, vel alia re temporali compenſare ſimonia eſt, jure Eccleſiaſtico, & divino. Non erit tamen ſimonia commutare Beneficium dignius, & magis tenue cum pinguiore; & minus digno, ſolum attendendo ad nudam permutacionem rei ſpiritualis cum ſpirituali, & temporalis cum temporalis, quidquid fit de inæqualitate, quæ intercedit. num. 32. 34. Solus Papa, (quod tamen fieri non ſolet,) poteſt ſeparare a Beneficio pinguiori partem fructuum, & applicare illam recipienti Beneficium tenue, & concedere ut fructus ſi ſeparati, & temporalizati pecunia compenſentur. n. 35.

124. *Transactio eſt pactio non gratuita de re dubia, & lite incerta ad litem dirimendam.* Tracl. 19. cap. 3. num. 39. Amicabilis compoſitio etiam propria auctoritate facta inter litigantes de Beneficio, vel alia re ſpirituali licita eſt, nulla

nulla tamen interveniente compenſatione, ita quod vel unus cedat liberaliter juri ſuo ſine ulla diviſione; vel uterque arbitrio prudentum ſe committat. Potent tamen qui ceſſit juri ſuo, donum ab altera parte ex gratitudine oblatum recipere. num. 40. In tranſactionibus ſimonia committitur dum remittitur, vel retinetur jus ſpirituale pro temporali emolumento. Quare ſi Beneficium fit litigioſum non licet componere litem dando pecuniam alteri, ut deſiſtat; vel recipiendo ab illo, & ei relinquendo Beneficium. num. 41. Extra materiam Beneficiorum, ſi fiat tranſactio circa rem ſpiritualē per largitionem alterius rei ſpiritualis, etiam propria auctoritate non eſt ſimonia. Requiritur tamen multoſies licentia Prælati, ob alias particulares rationes; ut patet in tranſactione cum laicis de Decimis. num. 42. In materia Beneficiorum tranſactio propria auctoritate facta, etiamſi ſpirituale pro ſpirituali tranſigatur, ſimonia eſt ex jure Eccleſiaſtico poſitivo. num. 43. Poteſt Episcopus ex juſta cauſa, vel etiam judex Eccleſiaſticus Arbitr de conſenſu litigantium electus, litem componere taliter inter partes tranſigendo, ut una habeat Beneficium, de quo lis erat, altera penſionem temporalem ab ipſo Beneficio conſequatur. Juſta autem cauſa eſt. Prima. Bonum pacis. Secunda. Neceſſitas alimentorum illius, qui ceſſit juri ſuo ad Beneficium. Tertia. Ratio laboris, & experientiarum in proſecutione litis, quæ omnia ſunt pretio æſtimabilia, & hæc tranſactio fieri poteſt, etiamſi partes prius inter ſe convenerint de ea, dependenter tamen a conſenſu Prælati faciendi, ſive penſio fit temporalis, ſive ſpiritualis; quæ tamen non Beneficio, ſed ipſi Beneficiario imponenda eſt, ejus tantum vita durante ſolvenda. n. 44.

125. *Beneficii renuntiatio eſt abdicatio voluntaria, qua quis dimittit Beneficium ſuum in manibus Prælati.* Niſi fiat in manibus illius Prælati, qui illud Beneficium conferre poteſt, & ipſe eam acceptet, valida non eſt. Ad renuncian- dum Beneficio litigioſo non requiri-

tur auctoritas Superioris, ſicut nec ad renuncian- dum Beneficio ad quod ſolummodo habet jus ad rem; & ſic poteſt quis electioni &c. de ſe factæ propria auctoritate valide renunciare. Tracl. 19. cap. 3. num. 49. Quatuor modis Beneficii renunciatio fieri poteſt in manibus Prælati. Primo. Pure, & abſolute; id eſt ſine onere penſionis, & ſine designatione perſonæ. Secundo. Pure, ſed non abſolute, id eſt ſine onere penſionis, ſed ſub rigorosa conditione ceſſionem ſuſpendente, quod detur tali perſonæ; quæ ſic fieri ſolet: Renuncio in favorem Petri, & non aliter, nec alio modo. Tertio. abſolute, ſed non pure, id eſt ſine designatione perſonæ, ſed cum onere, vel penſione. Quarto. Nec pure, nec abſolute, id eſt ſub conditione quod detur tali perſonæ, & cum onere penſionis ſibi, vel alteri reſervatæ. num. 50.

126. Renunciations ſine onere penſionis, ſed in favorem talis perſonæ non ſunt ſimoniacæ de jure divino, ſed tantum prohibitæ jure Eccleſiaſtico, ſi fiat in manibus Episcopii, aut alterius Prælati Pontificis inferioris; & etiam ſimoniacæ, ſi inter Episcopum & renunciantem præcedat pactum acceptandi, & conferendi perſonæ a renunciante designatione. In manibus autem Summi Pontificis tales renunciations pure, ſed non abſolutæ & valide, & licite fieri poſſunt. Tracl. 19. cap. 3. num. 51. Renunciatio in manu Episcopii facta in favorem alicujus, ſine conditione rigorosa ſuſpendente renunciationem, ſed ſolum declarando Episcopo deſideraria reſignantis eſt quod Beneficium conſecratur tali perſonæ licita eſt, dummodo pactum non intercedat: & poterit Episcopus Beneficium illi perſonæ conferre, ſi alias digna ſit. nu. 55. Renunciatio facta in manibus Episcopii ſive ſcienter, ſive ignoranter cum conditione rigorosa ut illi detur, quem reſignator designat, & non aliter, ſecundum probabiliorē ſententiam nequit ab Episcopo admitti, reſecta conditione, ſed omnino rejci debet. n. 57.

127. Renunciaciones reciproca, ut, ego renuncio in favorem amici tui, & tu renunciabis in favorem amici mei: item renunciaciones triangulares, ut, ego renuncio Beneficium Petro, ut ille renunciat suum Paulo, & Paulus renunciat suum mihi, omnes simoniace sunt propter pactum interveniens. Quamvis dictæ renunciaciones coram Ordinario fieri nequeant, potest tamen hoc duplici permutatione obtineri: ut si ego commutem Beneficium meum cum Beneficio Petri, & habito Beneficio Petri, illud commutem cum Paulo; sic enim Paulus habebit Beneficium Petri, Petrus meum, & ego Pauli Beneficium. Tract. 19. cap. 3. num. 58. Renunciaciones absolutæ, sed non puræ possunt quidem in manibus Pontificis fieri, etiamsi pactum inter partes præcedat, subordinatum tamen consensui Summi Pontificis: non vero in manibus ordinarii, juxta const. S. Pii V. Intolerabilis &c. Renunciaciones nec puræ nec absolutæ in manibus Ordinarii minime fieri possunt. num. 59. Simoniam committit qui resignans Beneficium in manu Pontificis, cum reservatione pensionis; vel alterius oneris, petit a resignatario fidejussorem, vel hypothecam, vel anticipatam solutionem pensionis. Similiter qui resignatario imponit obligationem solvendi expensas factas a resignante in obtinendo Beneficio litigioso. n. 60.

128. Resignatio confidentialis Beneficii est cesso illius, in manibus legitimi Prælati facta cum spe quod ille, in ejus gratiam resignatur sibi, vel alteri ad beneficium suum idem Beneficium resignabit, vel aliud, vel certe partem fructuum Beneficii, vel pensionem, vel aliquid aliud assignabit. Idem dicendum de collatione, presentatione, vel electione confidentiali. Tract. 19. cap. 3. num. 61. Hæc resignatio dupliciter fieri potest. 1. Si per talem confidentiam ex pacto tacito, vel explicito novum aliquod debitum legale resignatario superaddere velis. 2. Si resignes absque aliquo pacto, vel obligatione civili, sed cum sola spe, & confidentialia quod ille, in ejus favorem re-

signas ex sola gratitudine tibi, vel cui volueris idem Beneficium resignabit, vel aliud &c. num. 61, 62. Resignatio confidentialis primo modo facta proculdubio simoniaca est, tam jure divino quam antiquo, & etiam novo Ecclesiastico consistit. Pii IV. & Pii V. Secundo autem modo licet periculosa sit, & ut in plurimum simoniaca: per se tamen simoniaca non est, nec jure divino nec canonico saltem antiquo. Quare nec simoniacum, nec illicitum est Beneficium in favorem alicujus renunciare, Prælatum illud dare, Patronum præsentare &c. ea intentione, & spe quod aliquando cedat in favorem conferentis, resignantis &c. amici &c. præcisio omni pacto explicito, vel implicito. num. 63, 69.

129. Personæ in dictis constitutionibus comprehensæ sunt: Beneficia confidentialiter resignantes, recipientes, collatores, electores, & præsentatores. Actiones vero in dictis constitutionibus prohibita (quæ dicuntur resignaciones, aut collationes ex confidentialia,) sunt resignaciones cum accessu, regressu, vel ingressu ad Beneficium; & quæcunque receptiones Beneficii, vel resignaciones illius cum spe recipiendi fructus, vel partem fructuum, vel aliam pensionem. Tract. 19. cap. 4. num. 63. Accessus, regressus vel ingressus sunt quædam expectativæ seu confidentiæ, quibus significatur renunciamentum non omnino, & absolute Beneficium dimittere, sed velle sibi retinere aliquid jus repetendi. Accessus enim est: si Petro impedito, ob defectum ætatis, aut ob aliam causam Prælatum conferat jus, ut quando capax fuerit, Beneficium ingrediatur, quod Francisco interim consistit in confidentialia, quod tunc illud dimittet. Regressus dicitur, si Petrus Beneficium quod possidet, cedat alteri, servato jure regressendi ad illud, si resignatarius pensionem non solverit, si Religionem ingrediatur, si Episcopus fiat aut si moriatur. Ingressus denique appellatur, si Petrus ante acceptam possessionem Beneficii ei collati, illud alteri resignet.

gnet, servato sibi jure ingrediendi illud, si resignatarius fiat Episcopus, si Religionem ingrediatur, si moriatur. n. 64. 130. In dictis Bullis Pii IV. & S. Pii V. comprehenditur etiam confidentialia in permutationibus Beneficiorum commissa, ut si v. g. Petrus renunciat in favorem Joannis suum Beneficium, & Joannes aliud Beneficium in favorem Petri, ea confidentialia, ut ipsi postea in favorem Nepotum eadem Beneficia renunciunt, vel fructus, aut partem fructuum sibi, vel aliis solvant. Tract. 19. cap. 3. nu. 71. Resignatio confidentialis in pensionibus, nec non resignatio Beneficii in confidentialia quod resignativus aliud Beneficium, vel alios fructus, vel alias res spirituales in resignantem refundet, simoniaca quidem sunt, sed in dictis Bullis minime comprehenduntur, nec pœnis in eisdem latis subjiciuntur: nam pensiones Beneficia non sunt, deinde in dictis Bullis solum fit mentio de resignacione &c. alicujus Beneficii, sub confidentialia quod idem Beneficium, vel fructus ejusdem Beneficii, aut illorum pars in favorem resignantis aliquando cedant.

S. V.

De pœnis contra simoniacos latis

131. Nullæ pœnæ ipso facto incurruntur in jure latae reperiuntur pro simoniaco, præterquam pro simonia in ingressu Religionis, receptione Ordinum, & in Beneficiis. Ob simoniam pure mentalem in quacunque materia nulla est pœna, nec aliqua obligatio dimittendi Beneficium, aut pretium receptum. Tract. 19. cap. 4. num. 3. Ob simoniam quoque mentalem, opere externo consummatam, sed ita quod tale opus nullo modo simoniacum appareat, nec simoniacus animus, verbis, signis, aut aliqua circumstantia manifestus fiat, pœnæ juris non incurruntur. Sic neque ob simoniam conventionalem ex neutra parte completam; immo neque ob eam, in qua pretium tantum solutum

fit, nondum tamen tradita res spiritualis; jura enim pro incurrendis simoniaco rum pœnis requirit quod Ordo, Religio, Beneficium, vel res spiritualis tradita sit, cum in promissione pecuniarum sive rei temporalis. Verum probabile est etiam, & in praxi tutum, quod ad eas incurrendas requiratur simonia realis ex utraque parte completa, per traditionem saltem partem, tum rei spiritualis, tum temporalis; & quod sit simonia de jure divino, nam hæc sola proprie, & strictissime simonia est. In confidentiali tamen simonia, omnes pœnæ incurruntur, licet sola res spiritualis tradita sit, & licet sit de solo jure Ecclesiastico. In simonia quoque, quæ circa Ordines committitur ab Episcopis officialibus, pœnæ contra eos statuta incurrunt, licet non fit de jure divino, propter speciales juris dispositiones. n. 3. 4. 6. 7. 11.

132. Pœnæ communes in jure assignatæ quæ contra Simoniacos ferri debent pro qualitate delicti, sunt: pœna infamæ, reclusionis, depositionis, quod ab Altari repellantur, ab Ecclesia eliminentur, & similes. Tract. 19. cap. 4. num. 2. Dantes, vel recipientes aliquid pro ingressu Religionis incurrunt ipso facto excommunicationem Summo Pontifici reservatam, a qua tamen excusat ignorantia etiam culpabilis, quia solum excommunicantur id facere præsumentes. Valde probabile est hæc excommunicationem non incurri, nisi consummatum actum Professionem. nu. 12. Incurrunt etiam simoniace admittentes ad Religionem suspensionem quoad actus capitulares pertinentes ad jurisdictionem, & administrationem Ecclesiasticam; & simoniace receptus, de Monasterio expellendus est, & in locum archidiaconi regulæ ad perpetuum penitentiam detrahendus, post sententiam tamen saltem criminis declaratoriam. Sunt etiam tales simoniaci, si crimen notorium sit, infames, & etiam irregulares. nu. 13. Simoniace ordines conferens, & mediator, aut præsentator simoniaco cuiuscunque sint dignitatis, incurrunt ipso facto

facto excommunicationem summo Pontifici reservatam. Insuper collator suspenditur ipso iure, a collatione quorumcumque Ordinum, & etiam primæ tonsuræ, & ab usu Pontificalium; & est interdictus ab ingressu Ecclesiæ; & si suspensionem, vel interdictum violet, ab Ecclesiæ regimine, & administratione suspenditur. nu. 14. Simoniace vero ordinatus incurrit ipso facto suspensionem ab exercitio Ordinum, a qua non excusat ignorantia. Probabiliter autem intelligitur de Ordinibus simoniace receptis. Quod si suspensionem violet, fit irregularis, sicuti omnis alius censuras violans. n. 15.

133. Pœnæ a iure statutz pro simoniaci receptionibus, collationibus, nominationibus ad officia, & Beneficia Ecclesiastica intelliguntur de officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis proprie talibus; unde sub illis non comprehenduntur Pensiones, Vicariæ ad nutum amovibiles, Capellaniz ad collativæ, quia Beneficia proprie non sunt: nec officium Inquisitoris, Legati, aut similia, quia non sunt proprie officia Ecclesiastica: bene vero Abbatiz, Prioratus, Provincialatus, Generalatus, sunt enim proprie officia Ecclesiastica, & quodammodo Beneficia. Tract. 19. cap. 4. nu. 16. Simoniace conferentes, vel procurantes alteri officium, aut Beneficium Ecclesiasticum electione, postulatione, nominatione, confirmatione, sive publice, sive secreto; necnon recipientes, & omnes adjuvantes, sive procurantes ut Beneficium simoniace detur, incurrunnt ipso facto excommunicationem summo Pontifici reservatam. Insuper irritantur, & annullantur omnes huiusmodi provisiones, & collationes, ita ut nullum jus per eas acquiratur; & recipiens tenetur ante omnem iudicis sententiam ad dimissionem Beneficii simoniace recepti, & ad restitutionem fructuum, etiam si simonia non ab ipso, sed ab alio tertio, ipso tamen sciente, & non contradicente commissa sit. Si autem invincibiliter hoc ignoravit; collatio quidem irrita est, non tamen incurrit ex-

communicationem; nec fructus bonæ fide consumptos restituere tenetur. Et si per triennium bona fide possiderit Beneficium, ei amplius lris moveri non potest. Si simonia committatur ab alio tertio, ipso sciente, & contradicente, valet collatio. n. 17. 18.

134. Cardinales, Episcopi, & alii Prælati simoniam confidentialiter committentes, sunt interdicti ab ingressu Ecclesiæ; & si ingrediantur, irregulares fiunt. Inferiores vero eam committentes, ipso facto, incurrunnt excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Resignatio insuper, & collatio taliter factæ nullæ sunt; ideoque Beneficium sic recipiens non facit fructus suos; sed ante omnem iudicis sententiam Beneficium dimittere, & fructus perceptos restituere tenetur, licet simonia ex parte ipsius recipientis completa non sit; & tandem fit inhabilis in perpetuum ad idem Beneficium obtinendum. Collatio vero talis Beneficii Sedi Apostolicæ reservatur. Insuper Beneficium confidentialiter recipiens privatur ipso iure, post sententiam tamen declaratoriam criminis, omnibus Beneficiis antea rite obtentis, & fit inhabilis ad illa, vel alia quæcumque in posterum obtinenda. Idemque dicendum de examinatis Synodalibus, pro approbatione ad Beneficia aliquid recipientibus. Tract. 19. cap. 3. num. 72. 73. cap. 4. num. 19. Ut pœnæ simoniæ tam confidentialis, quam cujuscunque alterius incurrantur, non requiritur quod collatio, renunciatio &c. validæ sint, sed sufficit quod actus simoniacus validus esset si non obliaret simonia. Si vero actus, etiam non interveniente simonia, esset invalidus, propter illum pœnæ minime incurrunntur: ut si quis Beneficium confidentialiter renunciet, sine auctoritate ejus qui talem renunciationem admittit, offert; quia talis renunciatio nulla est, etiam independenter a simonia. c. 3. n. 73.

135. Re spiritali non tradita, pretium restituendum est ei qui illud dedit: re vero spiritali tradita, pretium pro

pro Religionis ingressu restituendum est illi Monasterio, in quo detrudendus est Religiosus simoniace professus: pretium vero pro Ordine, vel Beneficio tradendum est illi Ecclesiæ, cui irrogata est injuria, vel pauperibus; & si ipse qui recepit sit pauper, poterit sibi titulo pauperatis retinere in sententia probabili. Fructus Beneficii simoniace recepti restituendi sunt Ecclesiæ, in qua situm est Beneficium; & probabile est etiam posse distribui inter pauperes, vel successori relinqui: vel posse fieri compositionem cum Summo Pontifice. Igitur in sola reali simonia commissa, in receptione Ordinis, Beneficii, & Religionis tenentur simoniaci ad restitutionem pretium, ante sententiam iudicis ex jure positivo Ecclesiastico tantum; pretium vero receptum ob simoniam in aliis materiis, nec ex jure Divino, nec ex jure Ecclesiastico restituendum est. Quod si forte cum simonia etiam injustitia conjugatur, ut cum quis ut vexare desinat aliquid accipit: cum elector pro eligendo dignum; vel cum Parochus pro administrandis Sacramentis pretium accipit: tunc enim pretii restitutio ex jure Divino, & naturali facienda est. Tract. 19. cap. 4. n. 26. 28. 30. 31. 32.

136. A suspensione ab Ordine simoniace recepto solus Pontifex dispensare potest; a suspensione vero quoad alios Ordines legitime receptos, etiam Episcopus cum ignoranter simoniace ordinato, secus vero cum scienter simoniace ordinato. Suspendio incurra a Simoniace ordinato, & illa quam incurrit Conventus, vel Capitulum ob simoniam Religiosi receptionem sunt pariter Papæ reservatæ. Ab excommunicatione incurra ob simoniam in Ordine, Beneficio, aut Religione, solus Papa absolvere potest. Verum ab omnibus his censuris, si publicæ non sint, & ad forum contentiosum non deductæ, Episcopus juxta Trident. sess. 24. cap. 6. de reform. absolvere potest. Tract. 19. cap. 4. num. 34. Si Beneficium per simoniam ignoranter acceptum, (simonia

nia videlicet ab aliis ipso ignorante commissa, & simplex fuerit, & cognita simoniace Beneficiarius sponte renunciet, potest Episcopus dispensare ut illudmet Beneficium habeat in ea vacatione: nomine autem Beneficii simplicis veniunt etiam Canonice Cathedralis, & alia quæ curam animarum non habent. Quod si sponte non renunciet, sed expectet sententiam iudicis illum privantis Beneficio, non poterit Episcopus dispensare, ut Beneficium illud, ea vice obtineat. Si Beneficium illud sit Curatum, Dignitas, aut Prælatura, etiam si cognita simonia sponte renunciet, non poterit Episcopus dispensare, ut pro illa vice tale Beneficium obtineat. num. 35. 36. 37. Si quis scienter renunciet simoniace Beneficio sive simplex, sive Curatum, etiam si sponte renunciet, nequit Episcopus sive pro illa vice, sive pro alia dispensare, ut idem Beneficium obtineat, sed semper ad illud remanet inhabilis; poterit tamen cum ipso dispensare, super inhabilitate quoad alia Beneficia, si sponte renunciet; secus vero si sententiam expectet, num. 38. In casibus in quibus potest Episcopus cum simoniaco dispensare in Ordine, aut Beneficio, poterit etiam Episcopus ille, cum quo talis simonia commissa est. num. 39. Pontifex scienter simoniaco Beneficium conferens, cum illo in inhabilitate dispensare censetur pro illo casu, & respectu illius Beneficii tantum; non enim presumendum est eum velle efficere actum nullum. n. 40.

TRACTATUS III.

De secundo Decalogi præcepto.

PROEMIUM.

Secundum Decalogi præceptum est: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Tripliciter potest Dei Nomen